

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. V. De Obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

*ff. d. edil. edict. (e) vel Tacita, quæ fit ab initio dissimulatione, qua quis injuriam derelinquit, dum eam statim passus ad animum non revocat. §. XII. f. b. Injuria sic remissa ex pœnitentia non potest recoli. d. §. l. ii. §. i. ff. d. injur. Tacita remissio etiam fit ex post facto (1) præscriptione, præscribitur autem jure civili Actioni injuriarum æstimatoriæ anno Utili. l. 5. C. b. j. l. i. l. 6. ff. d. Calumn. Jure Saxon. El. idem annus Civilis attenditur in injuriis levioribus, quamvis realibus, quoties earum coërcitio ad inferiorem jurisdictionem pertinet. P. 4. C. El. 46. §. also. at in gravioribus injuriis realibus, quæ superiori Jurisdictioni vindicantur, obtinet præscriptio 31. ann. 6. sept. & 3. d. P. 4. C. El. 46. §. so viel. conf. tamen d. Mand. Reg. §. 43. (2) Amicitia spontanea testatione j. d. Mand. §. 17. veluti conversatione familiari, secus igitur est, quando ex civilitate, aut officii ratione, contingit.*

## TIT. V.

## De Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.

*Si judex litem suam fecerit.*

**S**I judex litem suam fecerit, non proprie ex maleficio obligatus videtur: sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, & utique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideo videtur quasi ex maleficio teneri; & in

*(e) Actiones suas remittentibus non est dandus ad eas regressus. L. 14. §. 9. ff. d. edil. edict.*

quantum

quantum de ea re æquum religioni judicantis videbitur, pœnam sustinebit.

*De dejectis, vel effusis, & positis, aut suspensis.*

*Ex l. 1. de his qui eff. vel dejec. l. 5. §. 5. de oblig. & act.* 1. Item is, ex cujus cœnaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, dejectum, effusumve aliquid est, ita, ut alicui noceret; quasi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideo autem non proprie ex maleficio obligatus intelligitur, qui plerumque ob alterius culpam tenetur, aut servi, aut liberi. Cui similis est is, qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere: quo casu pœna decem aureorum constituta est. De eo vero, quod dejectum effusumve est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. Ob hominem vero liberum occisum, quinquaginta aureorum pœna constituitur. Si vero vivat, nocitumque ei esse dicatur, quantum ob eam rem æquum Judici videtur, actio datur. Judex enim computare debet mercedes Medicis præstitas, ceteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quod inutilis est factus.

*De filiofamilias seorsum habitante a patre.*

*Ex l. 1. §. 7. de his qui effuder. vel dejec.* 2. Si filiofamilias seorsum a patre habitaverit, & quid ex cœnaculo ejus dejectum effusumve fuerit, sive quid positum suspensumve habuerit, cujus casus periculosus est, Juliano placuit, in patrem nullam esse actionem, sed cum ipso filio agendum esse. Quod & in filiofamilias judice observandum est, qui litem suam fecerit.

*De damno aut furto, quod in navi, aut caupona, aut stabulo factum est.*

*Ex l. 5. §. 6. de obl. & act.* 3. Item exercitor navis, aut cauponæ, aut stabuli, de damno aut furto, quod in navi, aut caupona,

pona, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modo ipsius nullum est maleficio, sed alicujus eorum, quorum opera navem aut cauponam aut stabulum exercet. Cum enim neque ex maleficio, neque ex contractu sit adversus eum constituta hic actio, & aliquatenus culpæ reus est, quod opera malorum hominum uteretur, ideo quasi ex maleficio teneri videtur. In his autem casibus in factum actio competit, quæ heredi quidem datur, adversus heredem autem non competit.

I.

Quasi delictum dicitur, quod culpa, ut plurimum imputata, committitur. PR. §. 1. F. b. Pr. §. 1. I. h. Tale est (1) factum judicis per imprudentiam malejudicantis, ex quo judex per imprudentiam male judicando obligatur, PR. F. b. atque illud parit Actionem in factum quæ est personalis, & datur leso per decretum aut sententiam Judicis, ex imprudentia male judicantis, adversus Judicem ad præstandum Interesse juxta æquum Judicis illius causæ arbitrium. PR. F. b. l. f. ff. d. extraord. cogn. Hanc actionem hodie non recessisse ab usu resp. F. J. L. M. Jan. A. 1700.

II. Quasi delictum est (2) damnum dejectione vel effusione datum culpa Inhabitoris, idque describitur, quod sit quasi delictum, ex quo inhabitator s. in ædificio suo, s. conducto s. gratis concesso habitet, §. 1. F. b. l. 1. §. 9. ff. d. his, qui §. 1. I. h. effud. (a) dato damno per effusionem aut dejectionem

(a) Publice utile est sine metu & periculo per itinera commeari. L. 1. §. 1. ff. d. his qui effud. vel dej.

tionem

ctionem *in locum*, per quem vulgo iter fit, aut in quo consistitur. §. I. *J. b. j. l. i. pr. §. i. ff. d. t.* propterea obligatur, quod non cavet, ne tale quid a familia vel aliis, quos recepit, fieret. *l. i. §. 9. l. 6. §. 2. ff. eod.* Hoc producit actionem *de Dejecto vel effuso*, eaque est prætoriam, personalem & datur læso adversus *inhabitorem*, ex cuius ædibus aliquid dejectum vel effusum est, ad hoc, ut præstetur damnum *in re æstimabili* datum duplo, in *libero homine læso* arbitrio Judicis, *occiso 50. aureis. §. I. J. b.* Judex enim libero homine læso computat impensas curationis & operas, quibus caruit aut cariturus est. *d. §. Hodie* actio præfens est infrequens, plerumque vero ad simplicem damni æstimationem, & pro re nata, ad pœnam arbitrariam agi solet.

III. Quasi delictum est (3) *Culpa periculose positum vel suspensum habentis*, quæ describi potest, quod sit quasi delictum, ex quo obligatur, qui periculose quid positum vel suspensum habet *supra eum locum*, per quem vulgo iter fit, aut ubi consistitur. §. I. *J. b.* Hoc parit actionem *de Posito vel Suspensio*, eaque est Prætoriam, personalem, pœnalis, annalis, & datur *cuivis ex populo l. 5. §. f. ff. d. his qui effud.* adversus eum, qui supra eum locum, ubi vulgo iter fit, aut in quo consistitur, aliquid positum vel suspensum habet, quod, si ceciderit, alicui nocere possit, ad pœnam 10. aureorum §. I. *J. b. l. 5. §. 6. ff. d. t.* actori applicandam. *a. l. 12. ff. d. V. S.* Hæc actio *hodie* valde infrequens est futurumque hujusmodi

modi damnum a Magistratu arceri potest interdito simplici, aut pœnali, exigente contumacia vel periculi magnitudine. Actio illa locum non habet ex facto filiifam. seorsim a Patre habitantis, adversus Patrem. §. II. *J. b. ne qui-* §. 2. I. h.  
*dem de peculio. l. 5. §. 5. ff. d. O. & A. j. L. 58. ff.*  
*d. R. J. (b)* idemque obtinet, quando aut ex cœ-  
naculo ejus aliquid dejectum effusumve est, aut  
litem suam fecit. *d. §. II.* sed ipse tum filius tenetur  
in solidum. *l. 5. §. 5. ff. d. O. & A.* Hodie  
quoque Parentes regulariter ex delicto libero-  
rum ad multæ solutionem compelli nequeunt.  
*a. l. 22. C. d. pœn.*

IV. Quasi delictum est (4) *damnum datum,*  
*furtumve factum in navi, caupona vel stabulo cul-*  
*pu Exercitoris,* quod est quasi delictum, ex quo  
Exercitor navis, cauponæ vel stabuli, propter  
furtum factum damnumve datum *ab iis, qui il-*  
*lic habitandi vel operarum præstandarum*  
*gratia sunt, vectoribus & hospitibus obligatur.*  
§. III. *J. b. l. 5. §. f. l. 6. §. 3. ff. naut. caup. stabul. j.* §. 3. I. h.  
*L. 27. §. 9. ff. ad Leg. Aquil. L. 11. ff. loc. (c)* Appella-  
tur autem Exercitor ad quem omnes reditus na-  
vis, cauponæ vel stabuli perveniunt. *l. 1. §. 15.*  
*ff. d. exercit. act.* Hoc quasi delictum producit

(b) *Ex pœnalibus causis non solet in patrem de peculio*  
*actio dari. L. 58. ff. d. R. J.*

(c) *Conductor operarum, qui culpam in eligendis vel*  
*retinendis ministeriis admisit, ex facto operariorum*  
*in negotio ipsis commissio obligatur. a. L. 27. §. 9. ff. ad*  
*L. Aquil. L. 11. ff. locat.*

Hh

actionem

*actionem in factum*, quæ est prætoriam, personalis, perpetua. *l. f. §. f. ff. naut. caup.* pœnalis mixta. *a. l. 7. §. 1. ff. eod. j. c. odia. d. R. J. in 6.* & datur *hospitibus atque vectoribus*, quibus furtum factum vel damnum datum est in navi, caupona vel stabulo, eorumque hæredibus. *§. III. J. b. §. 1. J. d. perp. & temp. act.* adversus *Exercitorem* navis, cauponæ vel stabuli, non contra ejus hæredes. *§. III. J. b. l. f. §. f. ff. naut. caup. ad duplum* ejus, quod abest præstandum. *l. f. §. 1. ff. eod.* *Hodie* hæc actio infrequens est.

## TIT. VI.

*De Actionibus.*

*Continuatio: & definitio.*

*Ex Ulp. l. 51. de obl. & act.* **S**UPEREST, ut de actionibus loquamur. Actio autem nihil aliud est, quam jus, persequendi in judicio, quod sibi debetur.

*Divisio prima.*

*L. 25. de oblig. & act.* **I.** Omnium autem actionum, quibus inter aliquos apud iudices arbitrosve de quacumque re quæritur, summa divisio in duo genera deducitur: aut enim in rem sunt, aut in personam. Namque agit unusquisque aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo casu proditæ sunt actiones in personam, per quas intendit, adversarium ei dare aut facere oportere, & aliis quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen alicui de aliqua re controversiam: quo casu proditæ actiones in rem sunt: veluti, si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum ejus se esse dicat: nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est.

De